minuunt. ut post ea ligb. St ū ī teg̅. vuii. sufficientes ad infini-
tā multiplicatione. quąₑ noīa singl̄is s̄t supiecta.

celentes zemenias zeṅis. chalcus. auunes. arbas. ornus. andjas. ioiti.

Verū minuitię sunt .xx. uii. subscriptę cū nominib; suis.

deunx. dextans dodrans bisse. septunx. semis ąncux. triens quadrans.

sixtans sexcuncia uncia. semuncia. duella sicilicus seatula. dragma.

emissosela tremissis scripulus. obulus. cerates. siliqua. chalcus.

his caracterib; firmiter memorię com mandatis ꝫ quasi oculis
cordis subiacentib; misteriis eąₑ. diuide potis ꝫ multipli-

Rara Mathematica;

OR,

A COLLECTION

OF

TREATISES ON THE MATHEMATICS

AND

SUBJECTS CONNECTED WITH THEM,

From ancient inedited Manuscripts.

EDITED BY

JAMES ORCHARD HALLIWELL, Esq., f.r.s., f.s.a.,

&c. &c. &c.

OF JESUS COLLEGE, CAMBRIDGE.

"I see not how the history of any science is to be conducted through the middle-age period, but by the assistanc of the works of science of the middle-age writers, though the contents of them, as works of science, may have now become of little value."
Rev. J. Hunter's Monastic Libraries, Pref. p. xi.

THE SECOND EDITION.

LONDON:

PREFACE.

THIS is a new impression rather than a new edition of a work which has been so favourably received, that the editor is induced to submit it once more to the notice of the reading public. The following notes on some of the tracts here printed, remain nearly the same as in the other edition.

I. *Johannes de Sacro-Bosco de Arithmetica.* Often occurs in MSS. without his name; MSS. Harl. 3647. 3843. 4350 ; Bib. Reg. 12 C. xvii ; Arund. 343. Cott. Cleop. B. vi. f. 234; Publ. Cantab. Ii. I. 15. (1692). An English translation—Ashm. 396. The present text is taken from a manuscript formerly in the Library of the Abbate Canonici of Venice.

III. *A Treatise on the Numeration of Algorism.*—This is taken from a single leaf of vellum, found loose in an old MS. on astronomy, formerly in Dr. Clarke's library.

IV. *Bourne's Treatise on Optical Glasses.*—The other work he mentions in his dedication, as having been inscribed to Lord Burghley, is in the British Museum.—MS. Sloan. 3651.

V. *Johannes Robyns de Cometis.*—From a MS. in my own library. Other copies, Bib. Reg. 12 B. xv. and Trin. Coll. Cantab. inter MSS. Gal. O. I. 11.

VIII. *A Merchant's Account Table.*—This table is exceedingly curious, conducted partly similar to an abacus, the cyphers at the bottom being used to guide the manual calculator.

IX. *Carmen de Algorismo.* — A MS. of the Massa Compoti in the British Museum (Harl. 3902), by Alexander de Villa Dei, possesses an introduction to the work by some other author: it is there stated that the same author composed *Doctrinale et Algorismum Metricum.* M. Chasles informs me that a MS. of this tract in the French King's Library (7420. A.) has the following colophon at the end : *Explicit Algorismus editus a᾽ Magistro Alexandro de Villa Dei.* This is, I think, quite sufficient to prove him to be the author.

MSS. of it are very numerous : I will mention a few for guidance. MSS. Bib. Reg. 8 C. iv. 12 E. i. Cot. Vitell. A. i. (first chapter). Trin. Coll. Cant. O. v. 4. ii. 45. i. 31. S. Joh. F. 18. Publ. Mm. iii. 11. (2310). Ii. i. 13. (1690.) i. 15. (1692). Bodl. 57. Fairf. 27. Digb. 15. 22. 81. 97. 98 104. 190. Bodl. 4to. D. 21. Jur.

Fragments MSS. Sloan. 513. 1620. 2397.—Many copies of it occur in the Catalogue of the Library of the Dover Monastery (MS. Bodl. 920.) made in 1389.— *Vid.* Monast. iv. p. 532.

MS. Digb. 104, has Ambrosinus for Algorismus in the first line. MS. Sloan. 513, has the following colophon—

" Explicit tractatus algorismi tum satis breve et bono commento secundum Saxton.

Qui scripsit carmen sit benedictus. Amen !

Nomen scriptoris Galfridus plenus Amoris."

Whose name is here latinized I know not, but I am not inclined to give much credit to it.

XII. *The Preface to an Almanac for* 1430.—It was pointed out to me by Professor De Morgan, that some portions of this are evidently plagiarized from Chaucer's preface to his tract on the Astrolabe.

35, *Alfred Place, London, Jan. 1st,* 1840.

CONTENTS.

CORRECTIONS AND ADDITIONS.

P. 2, *l.* 31.—*For* idem, *read* eandem.

P. 3, *l.* 13.—*For* muneri, *read* numeri.

P. 6, *l.* 20.—*For* nonenarii, *read* novenarii, *and in other places.*

P. 7, *l.* 18.—*For* supponatur, *read* supraponatur.

P. 11, *l.* 25, 29.—*For* vide, *read* vid.

P. 12, *l.* 22.—*For* quinam, *read* quando.

P. 15, *l.* 21.—*For* perdictis, *read* prædictis.

P. 19, *l.* 11.—*For* quidenarius, *read* quindenarius.

P. 19, *l.* 25.—*For* perambulum, *read* præambulum.

P. 26, *l.* 15.—Sibi ; *so in the manuscript, but evidently* sub.

P. 29, *l.* 4.—*For* 14, *read* 15.

P. 30, *l.* 2, 6, 7 ; P. 31. *l.* 1, 13.—It will be readily seen that *y* is in-serted in these places for *th*, the Saxon character having been mistaken by the printer.

P. 51, *l.* 17.—*For* ince, *read* vice. I may mention here, that it was pointed out to me by G. S. Venables, Esq., that a portion of this preface is plagiarised from Cicero.

P. 54, *l.* 18.—Cædere ; *so in the manuscript, but evidently* cedere.

P. 55.—This table has been previously noticed, and in part printed by J. W. Lubbock, Esq., in *Phil. Trans.*

P. 55, Second table, *l.* 1.—*For* 10, *read* 0.

P. 56. The poem quoted in the note has since been printed in my " Early History of Freemasonry in England."

P. 57, *l.* 17.—*For* Bathoniensum, *read* Bathoniensem.

P. 73, *l.* 21.—*For* nihil, *read* in his.

P. 73, *l.* 22.—*For* potuit, *read* patuit.

P. 84, *l.* 12.—*For* descriptos, *read* desuper.

P. 85, *l.* 16.—*For* principem, *read* patrem.

NOTE.

The following volume was originally published at three several times: the first part (pp. 1—48) appeared on the 1st of June, 1838; the second (pp. 49—96) on the 1st of October, 1838: and the remainder on the 1st of June, 1839. It ought to be particularly remarked, that in no instance has the regular correction of the errors in the MSS. from which these tracts are printed been attempted.

JOANNIS DE SACRO-BOSCO

TRACTATUS

DE ARTE NUMERANDI.

OMNIA quæ a primæva rerum origine pro-
cesserunt ratione numerorum formata sunt,[1] et
quemadmodum sunt, sic cognosci habent : unde
in universa rerum cognitione, ars numerandi est
operativa. Hanc igitur scientiam numerandi
compendiosam edidit philosophus nomine Algus,[2]
unde algorismus nuncupatur, vel ars numerandi,

[1] "Omnia quæcunque a primæva rerum natura constructa
sunt, numerorum videntur ratione formata."—*Boetii Arith.* lib. i.
cap. 2, *Edit. Par.* 1521, fol. 8. Vid. Hen. Welpii Arith. Prac-
tica, 4to. *Colon.* 1543. Enchiridion Algorismi per Joannem
Huswirt, 4to. *Colon.* 1501. Licht de Algorismo, 4to. *Leip.*
1500.

[2] "Rex quondam Castelliæ." *Johannis Norfolk progressionis
summula,* MS. Harl. Mus. Brit. 3742. "Cum hæc scientia de
numeris quæ algorismus ab inventore vel ab Algo, quæ est in-
ductio et rismus, quæ est numerus quasi inductio in numeros
appellatur."—*Tractatus de Algorismo,* MS. Arundel. M.B. 332,
fol. 68. Vid. Pref. a " Œuvre tresubtille et profitable de Arith-
metique et Geom." 4to. *Par.* 1515, Sig. B. 2.

vel introductio in numerum. Numerus quidem
dupliciter notificatur, formaliter et materialiter :
formaliter ut numerus est multitudo ex unita-
tibus aggregata : materialiter ut numerus est
unitates collectæ. Unitas autem est qua una-
quæque res una dicitur. Numerorum alius
digitus ;[3] alius articulus ; alius numerus com-
positus sive mixtus. Digitus quidem dicitur
omnis numerus minor denario ; articulus vero
est omnis numerus qui potest dividi in decem
partes æquales, ita quod nihil residuum sit ;
compositus vero sive mixtus est qui constat
ex digito et articulo. Et sciendum est quod
omnis numerus inter duos articulos proximos
est numerus compositus. Hujus autem artis
novem[4] sunt species ; scilicet, numeratio, ad-
ditio, subtractio, mediatio, duplatio, multipli-
catio, divisio, progressio, et radicum extractio ;
et hæc dupliciter in cubicis et quadratis ; inter

---

[3] "Digitus est omnis numerus minor decem. Articulus est
omnis numerus qui digitum decuplat, aut digiti decuplum, aut
decupli decuplum, et sic in infinitum. Separantur autem digiti
et articuli in limites. Limes est collectio numerorum, qui aut
digiti sunt, aut digitorum æquæmultiplices, quilibet sui relativi.
Limes itaque primus digitorum, secundus primorum articulo-
rum. Tertius est secundorum articulorum. Et sic in infinitum.
Numerus compositus est qui constat ex numeris diversorum
limitum. Item numerus compositus est qui pluribus figuris
significativis representatur."—*Algorismus demonstratus Regio-
montani*, edit. 1534, Sig. A. iv.

[4] Prodocimus de Beldemando de Padua facit idem divisionem,
sed Lucas Paciolus de Burgo Sancti Sepulchri omittit duplatio-
nem et mediationem. Vid. Wallisii Opera, tom. iii. Art. *Alg.*

quas primo de numeratione et postea de aliis
per ordinem dicetur.

I.—*Numeratio.*

Est autem numeratio cujuslibet numeri per
figuras competentes artificialis representatio.
Figura vero differentia locus et limes idem
supponunt, sed diversis rationibus imponuntur.
Figura dicitur quantum ad lineæ pertractionem.
Differentia vero quantum per illam ostenditur
qualiter figura precedens differat a subsequenti.
Locus vero dicitur ratione spatii in quo scri-
bitur. Limes [5] quia est via ordinata ad cujus-
libet muneri representationem. Juxta igitur
novem limites inveniantur novem figuræ, no-
vem digitos representantes ; quæ tales sunt,
9 . 8 . 7 . 6 . 5 . 4 . 3 . 2 . 1. Decima figura di-
citur theta,[6] vel circulus, vel cifra,[7] vel figura
nihili quia nihil significat, sed locum tenens
dat aliis significare : nam sine cifra vel cifris
purus non potest scribi articulus. Cum igitur

---

[5] "Numerorum diversi sunt limites. Primus enim limes restat
ab unitate usque ad denarium; a denario in centenarium: a cen-
tenario in millenarium : et sic per decuplum. Secundus limes
a binario usque ad vigenarium : a vigenario usque ad ducenta ;
a ducentis usque ad duo millia. Similiter et cæteri per cæteros
digitos sumuntur. Sunt autem tot limites quot digiti."—*M S. de
Algorismo*, Bib. Trin. Col. Cant. Gal. Collect. O 2. 45, fol. 37.

[6] In multis MSS. *teca* et *theca.*

[7] Vid. Noviomagus de Numeris, 12mo. *Par.* 1539, p. 40.
Vossius de Scien. Math. et Wallisii Algebra, Angl. edit. p. 9.

per has novem figuras significativas adjunctas
quandoque cifræ quandoque cifris contingat
quemlibet numerum representare, non fuit ne-
cesse plures invenire figuras significativas. No-
tandum igitur quod quilibet digitus una sola
figura sibi appropriata habet scribi. Omnis
vero articulus per cifram primo positam et per
figuram digiti a quo denominatur, ille articulus
habet representari vel denominari. Quilibet
articulus ab aliquo digito denominatur, ut de-
narius ab unitate, vigenarius a binario, et sic
de aliis. Omnis numerus in eo quod digitus
habet poni in prima differentia : omnis articulus
in secunda. Omnis vero numerus a decem us-
que ad centum, ut centenarius excludatur, scri-
batur duabus figuris ; si sit articulus, per cifram
primo loco positam et figuram scriptam versus
sinistram quæ significat digitum a quo deno-
minatur ille articulus ; si sit numerus com-
positus, scribatur digitus qui est pars illius
numeri compositi et sinistretur articulus. Item
omnis numerus a centum usque ad mille, ut
millenarius excludatur, per tres figuras habet
scribi. Item omnis numerus a mille usque ad
decem millia, per quatuor figuras habet scribi,
et sic deinceps. Notandum quod quælibet
figura primo loco posita significat suum digi-
tum : secundo decies suum digitum : tertio
centies suum digitum ; quarto loco millesies ;
quinto loco decies millesies ; sexto loco cen-
ties millesies ; septimo loco millesies millesies,

et sic usque ad infinitum multiplicando per hæc
tria, decem, centum, mille : quæ tamen omnes
continentur in hac maxima ; quælibet figura in
sequenti loco posita decies tantum significat
quantum in præcedenti. Item sciendum est quod
supra quamlibet figuram loco millenarii positam
componenter possunt poni quidam punctus ad
denotandum quod tot millenarios debet ultima
figura representare, quot fuerunt puncta pertran-
sita. Sinistrorsum autem scribimus in hac arte
more Arabum hujus scientiæ inventorum, vel hac
ratione ut in legendo, consuetum ordinem obser-
vantes numerum majorem proponamus.

II.—*Additio.*

Additio[8] est numeri vel numerorum aggregatio,
ut videatur summa excrescens. In additione
duo ordines figurarum et duo numeri adminus
sunt necessarii, numerus cui debet fieri additio,
et numerus qui recipit additionem alterius et
debet superscribi. Numerus vero addendus est
ille qui debet addi ad alium, debet subscribi, et
competentius est ut minor numerus subscribatur
et majori addatur. Si igitur velis numerum

---

[8] " Additio est numeri ad numerum aggregatio, ut videatur
summa excrescens : vel aliter : additio est duorum numerorum
tertii inventio qui ambos contineat. In additione duo sunt
ordines et duo numeri sunt necessarii ; scilicet, numerus adden-
dus et numerus cui debet fieri additio."— *MS. de Arithmetica,*
Mus. Brit. Arundel. 332, fol. 68, b.

addere numero, scribe numerum cui debet fieri
additio in superiori ordine per suas differentias ;
numerum vero addendum in inferiori ordine per
suas differentias, ita quod prima inferioris ordinis
sit sub prima superioris ordinis, secunda sub
secunda, et sic de aliis. Hoc facto, addatur prima
inferioris ordinis primæ superioris ordinis; ex
tali ergo additione aut excrescat digitus, aut
articulus, aut numerus compositus. Si digitus,
loco superioris deletæ scribatur digitus excres-
cens. Si articulus, loco superioris deletæ scribatur
cifra et transferatur digitus a quo denominatur
ille articulus versus sinistram partem, et addatur
proximæ figuræ sequenti, si sit figura sequens ;
si nulla, sit figura ponatur in loco vacuo. Si
autem contingat quod figura sequens cui debet
fieri additio articuli sit cifra, loco illius deletæ
scribatur digitus articuli. Si vero contingat quod
sit figura nonenarii, et ei debeat fieri additio
unitatis ; loco illius nonenarii deletæ scribatur
cifra, et sinistretur articulus ut prius. Si autem
excrescat numerus compositus, loco superioris
deletæ scribatur digitus, pars illius numeri com-
positi, et sinistretur articulus ut prius. Hoc
facto, addatur secunda secundæ sibi suprapositæ,
et fiat ut prius.

III.—*Subtractio.*

Subtractio est, propositis duobus numeris, ma-
joris ad minorem excessus inventio : vel sic,

subtractio est numeri a numero ablatio, ut vide-
atur summa excrescens. Minor autem de majori
subtrahi potest, vel par de pari ; major vero de
minori nequaquam. Ille quidem numerus major
est qui plures habet figuras, dummodo ultima sit
significativa : si vero tot sint unitates in uno
quot in alio reliquo, videndum est per ultimas vel
penultimas, et sic deinceps. In subtractione vero
duo sunt numeri necessarii ; scilicet, numerus
subtrahendus, et numerus a quo debet fieri sub-
tractio. Numerus subtrahendus debet sibi scribi
per suas differentias, ita quod prima sub prima,
secunda sub secunda, et sic de aliis. Subtrahe
ergo primam figuram inferioris ordinis a figura
sibi supraposita, et illa aut erit par, aut major,
aut minor. Si par, ea deleta loco ejus ponatur
cifra, et hoc propter figuras sequentes ne minus
significent. Si major supponatur, tunc deleantur
tot unitates quot contineat inferior figura et re-
siduum loco ejus ponatur. Si minor quam, major
numerus de minori subtrahi non potest, mutuetur
unitas a figura proxima sequente quæ valet decem
respectu precedentis figuræ ; ab illo ergo denario
et a figura a qua debuit fieri subtractio simul
junctis subtrahatur figura inferior et residuum
ponatur in loco figuræ deletæ. Si vero figura
a qua mutuanda est unitas sit unitas, ea deleta
loco ejus scribatur cifra ne figuræ sequentes
minus significent deinde operare ut prius. Si
vero figura a qua mutuanda est unitas sit cifra,
accedet ad proximam figuram significativam et

ibi mutuat unitate et in redeundo in loco cujus-
libet cifræ pertransitæ ponatur figura nonenarii;
cum igitur perventum fuerit ad illam figuram de
qua intenditur, remanebit tibi denarius ab illo
ergo denario, et a figura non potest fieri subtractio
simul junctis subtrahatur figura sibi supposita ut
prius.   Ratio autem quare loco cujuslibet cifræ
pertransitæ relinquitur nonenarii figura hæc est.
Si autem tertio loco mutuetur unitas illa respectu
illius a qua debuit fieri subtractio, valuit centum;
sed loco cifræ pertransitæ, relinquitur nonenarius
qui valet nonaginta, unde remanet tantum dena-
rius, et eadem erit ratio si a quarto loco vel a
quinto vel deinceps mutuetur unitas.   Hoc facto,
subtrahe secundam inferioris ordinis a sua supe-
riori, et negociandum est ut prius.   Sciendum
est quod tam in additione quam in subtractione
possumus incipere operari a sinistra parte ten-
dendo versus dextram; sed, ut dicebatur, fuit
commodius.   Si autem probare volueris utrum
bene feceris, nec ne figuras quas prius subtraxisti
adde superioribus, et concurrent eædem figuræ
si recte feceris, quas prius habuisti.   Similiter
in additione, quum omnes figuras addideris, sub-
trahas quas prius addidisti et redibunt eædem
figuræ quæ prius habuisti, si feceris recte : est
enim subtractio additionis probatio, et converso.[9]

<hr />

[9] "Una species probat aliam; si itaque volueris explorare
veritatem calculi in additione, subtrahe partes conjungendas ab
aggregato : sique nihil remanet, vera est operatio. E contra
vero, in subtractione exploraturus calculum, adde relictum ad

IV.—*Mediatio.*

Mediatio est numeri propositi medietatis in-
ventio, ut videatur quæ et quanta sit illa me-
dietas. In mediatione autem tantum est unus
ordo figurarum et unus numerus necessarius, sci-
licet, numerus mediandus. Si ergo velis nume-
rum aliquem mediare, scribatur ille numerus per
suas differentias et incipe a dextris, scilicet, a
prima figura versus dextram tendendo ad sinis-
tram. Prima igitur figura aut erit significativa
aut non : si non sit significativa, cifra præmitta-
tur et fiat alterius : si vero fuerit significativa,
ergo representabit unitatem aut alium digitum :
si unitatem loco ejus deletæ ponatur cifra propter
figuras sequentes ne minus significent, et scriba-
tur illa unitas exterius in tabula, vel resolvatur
illa unitas in sexaginta minuta, et medietas illo-
rum sexaginta abjiciatur et reliqua medietas
reservetur exterius in tabula, vel scribatur figura
dimidii : sciendum tum quod nullum ordinis
locum obtineat aliquod, tamen significat quod
medietas duplata in suum locum recipiatur in
duplatione. Si autem prima figura significet
alium digitum ab unitate, ille numerus aut erit
par aut impar. Si par, loco ejus deletæ scribatur
medietas illius numeri paris. Si impar, sume

numerum subtrahendum, cumque redit is, a quo subtractio facta
est, justa est operatio."—*Winshemii Compendium Logisticæ
Astronomicæ*, 12mo. 1563, Sig. B. 3.

numerum proximum parem sub illo contentum,
et medietatem ejus pone in loco illius imparis
deleti ; de unitate autem quæ remanet medianda,
fac ut prius. Hoc facto, medianda est secunda
figura et negocianda est ut prius, si cifra præter-
mittatur intacta. Si autem figura sit significativa,
aut par aut impar erit : si par, loco ejus deletæ
scribatur ejus medietas ; si impar, aut erit unitas
aut alius digitus numerum imparem representans.
Si unitas, loco ejus deletæ scribatur cifra. Illa
autem unitas cum valet decem respectu figuræ
prioris de illis decem sumatur medietas : quina-
rius et addatur figuræ præcedenti. Si vero fuerit
alius digitus numerum imparem representans,
sume proximum parem sub illo contentum, et
medietas ejus loco illius imparis deletæ ponatur :
unitas autem quæ remanet medianda valet decem
respectu figuræ præcedentis : dividatur ergo ille
denarius in duos quinarios, et unus illorum ab-
jiciatur, et reliquus addatur figuræ præcedenti ut
prius. Si autem cifra fuerit cui debet addi qui-
narius, deleatur cifra, et loco ejus scribatur
quinarius, et sic operandum est donec totus
numerus mediatur qui scriptus fuerit.

V.—*Duplatio.*

Duplatio est numeri propositi ad seipsum ag-
gregatio, ut videatur summa excrescens. In
duplatione tantum unus ordo figurarum est
necessarius. In tribus speciebus precedentibus

inchoamus a dextra et a figura minori; in hac
autem specie et in omnibus sequentibus inchoa-
mus a sinistra et a figura majori : unde versus—

> Subtrahis aut addis a dextris vel mediabis ;
> A leva dupla, divide, multiplicaque :
> Extrahe radicem semper sub parte sinistra.[1]

Si enim velis incipere duplare a prima figura, con-
tinget idem bis duplare. Et licet aliquo modo
possumus operari incipiendo a dextris, tum diffi-
cilior erit operatio et doctrina. Si igitur velis
aliquem numerum duplare, scribatur ille nume-
rus per suas differentias, et dupletur ultima figura.
Ex illa igitur duplatione aut excrescit digitus,
aut articulus, aut numerus compositus. Si digi-
tus, loco illius deletæ scribatur digitus excrescens.
Si articulus, loco illius deletæ scribatur cifra, et
transferatur articulus, versus sinistram. Si nu-
merus compositus, loco illius deletæ scribatur
digitus qui est pars illius compositi et sinistretur
articulus. Hoc facto, duplanda est ultima figura,
et quicquid excreverit negociandum est, ut prius.
Si vero occurrerit cifra, relinquenda est intacta.
Sed si aliquis numerus cifræ debeat loco illius

---

[1] In Dionysii algorismo. MS. Bib. Reg. Mus. Brit. 8. c. iv.
Vide Arithmeticæ Brevis Introductio, per A. Lonicerum, 12mo.
Francof. 1551:

> " Addas, subducas a dextris multiplicesque ;
>   Dividit ac mediat deinde sinistra manus."

Vide Cirveli Algorismus, 4to. *Par.* 1513. Buclæi Arith.
Memor. 12mo. *Cantab.* 1613 ; et Arithmetica Speculativa Bra-
vardini, 4to. *Par.* 1500.

deletæ scribatur numerus addendus, eodem modo
negociandum est ut prius de omnibus : probatio
hujus talis est : si recte mediaveris, dupla et
occurrent eædem figuræ quas prius habuisti. Est
enim duplatio mediationis probatio et converso.

VI.—*Multiplicatio.*

Multiplicatio est numeri per se vel per alium,
propositis duobus numeris, est tertii inventio
qui contineat alterum illorum quot continentur
unitates in reliquo. In multiplicatione duo sunt
numeri necessarii, scilicet, numerus multiplican-
dus et numerus multiplicans. Numerus multi-
plicans adverbialiter nuncupatur. Numerus vero
multiplicandus nominalem recipit appellationem :
potest et jam tertius numerus assignari qui pro-
ductus dicitur, perveniens ex ductione unius in
alterum. Notandum est quod de multiplicante
potest fieri multiplicandus et econverso, manente
semper eadem summa, omnis numerus in seipso
convertitur multiplicando. Sunt autem sex re-
gulæ multiplicationis, quarum prima talis est :
quinam digitus multiplicat digitum, subtrahendus
est minor digitus ab articulo suæ denominationis
per differentiam majoris digiti ad denarium,
denario simul computato. Verbi gratia, si vis
scire quot sunt quater in octo, vide quot sunt
unitates intra octo et decem, denario simul com-
putato, et patet quot sunt duo : subtrahatur
ergo quaternarius a quadraginta bis et remanent

32, et hæc est summa totius multiplicationis.
Similiter quando digitus multiplicat seipsum.
Quando autem digitus multiplicat numerum
compositum, ducendus est digitus in utramque
partem numeri compositi, ita quod digitus in
digitum per primam regulam, et digitus in articu-
lum per secundam regulam ; postea producta
conjungantur simul, et erit summa totius multi-
plicationis. Quando articulus multiplicat articu-
lum, ducendus est digitus a quo denominatur
ille articulus in digitum a quo denominatur
reliquus. Quando articulus multiplicat numerum
compositum, ducendus est digitus articuli in
utramque partem numeri compositi ; conjungan-
tur producta, et patebit summa totius. Quando
numerus compositus multiplicat numerum com-
positum, ducenda est utraque pars numeri multi-
plicantis in utramque partem numeri multipli-
candi et sic ducetur digitus bis, quia semel in
digitum et semel in articulum. Articulus similiter
bis, quia semel in digitum et iterum in articulum :
hic tamen ubique articulus non ad principales
extenditur articulos. Si igitur velis aliquem
numerum vel per se vel per alium multiplicare,
scribe numerum multiplicandum in superiori or-
dine per suas differentias, numerum vero multi-
plicantem in inferiori per suas differentias, ita
tamen quod prima figura inferioris ordinis sit
sub ultima superioris. Hoc facto, ducenda est
ultima multiplicantis in ultimam multiplicandi.
Ex illo igitur ductu aut excrescit digitus, aut

articulus, aut numerus compositus. Si articulus,
ex directo figuræ multiplicantis scribatur cifra,
et transferatur articulus versus sinistram. Si
digitus, ex directo super positionem figuræ multi-
plicantis scribatur digitus excrescens. Si nume-
rus compositus, ex directo figuræ multiplicantis
scribatur digitus illius numeri compositi, et sinis-
tretur articulus, ut prius. Hoc autem facto,
ducenda est ultima numeri multiplicantis in ulti-
mam multiplicandi, et quicquid inde excreverit,
negociandum est, ut prius ; et sic fiat de omni-
bus aliis numeri multiplicantis, donec perveniatur
ad primam multiplicantis, quæ ducenda est in
ultimam multiplicandi, et ex illo ductu aut ex-
crescit digitus, aut articulus, aut numerus com-
positus. Si digitus, loco superioris deletæ scri-
batur digitus excrescens ; si articulus, loco supe-
rioris deletæ scribatur cifra et sinistretur articulus :
si numerus compositus, loco superioris deletæ
scribatur digitus qui est pars illius numeri com-
positi et sinistretur articulus, ut prius. Hoc
autem facto, anteriorandæ sunt figuræ numeri
multiplicantis per unam differentiam, ita quod
prima multiplicantis sit sub penultima multipli-
candi, reliquis similiter per unum locum anterio-
ratis. Quo facto, ducenda est figura ultima
multiplicantis in illam figuram sub qua est prima
figura multiplicantis, et ex illo autem ductu aut
excrescit digitus, aut articulus, aut numerus com-
positus. Si digitus, ex directo figuræ suprapositæ
addatur : si articulus, transferatur versus sinis-

tram, et figura directi supraposita relinquatur
intacta ; si numerus compositus, addatur digitus
supraposita figura et sinistretur articulus. Si-
militer quælibet figura numeri multiplicantis in
penultimam multiplicandi donec perveniatur ad
primum multiplicantis, ubi operandum est ut
prius, vel quemadmodum determinatur de primis;
deinde anteriorandæ sunt figuræ per unicam
differentiam, ut prius. Nec cessandus est a tali
anterioratione nec a tali ductu. Quovis quæ-
libet figura numeri multiplicantis ducatur in
quamlibet figuram numeri multiplicandi. Si
autem contingat quod prima figura numeri
multiplicantis sit cifra et ei supponatur figura
significativa, loco illius superioris deletæ scri-
benda est cifra. Si autem contingat quod
cifra sit inter primam figuram et ultimam
multiplicandi, anteriorandus est ordo figura-
rum per duas differentias, quamvis ex duc-
tione alicujus figuræ in cifram nihil resultat.
Ex perdictis ergo patet quod si prima figura
numeri multiplicandi sit cifra, sub ea non debet
fieri anterioratio. Sciendum autem quod in mul-
tiplicatione et divisione et radicum extractione
competenter potest relinqui spacium vacuum
inter duos ordines figurarum, ut ibi scribatur,
quod pervenit addendum aut subtrahendum ne
aliquid memoriæ intercidatur.[2]

[2] Vid. Piscatoris Compendium Arithmeticæ, 12mo. *Lips.*
1592. Ursini Systema Arithmeticæ, 12mo. *Colon.* 1619. Frisii
Arith. Pract. Methodus facilis, 12mo. *Colon.* 1592. Tonstallus
de Arte Supputandi, 4to. *Lond.* 1522.

VII.—*Divisio.*

Divisio[3] numeri per numerum est, propositis
duobus numeris, majorem in tot partes distribuere
quot sunt unitates in minori.   Notandum ergo
quod in divisione, tres numeri sunt necessarii ;
scilicet, numerus dividendus ; numerus dividens,
sive divisor ; et numerus denotans quotiens.
Numerus autem dividendus semper debet esse
major, vel saltem par divisori, si debeat fieri
divisio per integra.   Si velis igitur aliquem
numerum per alium dividere, scribe numerum
dividendum in superiori ordine per suas differen-
tias, divisorem vero in inferiori ordine per suas
differentias, ita quod ultima divisoris sit sub
ultima dividendi, penultima sub penultima, et
sic de aliis, si competenter fieri possit.   Sunt
autem duæ causæ quare ultima sub ultima in-
ferioris ordinis non possit collocari, quia aut
ultima inferioris ordinis non possit subtrahi ab
ultima superioris quod est minor inferiori, aut
quæ licet ultima superioris possit subtrahi a sua
superiori : reliquo tamen non possunt subtrahi
a figuris sibi suprapositis, si ultima inferioris sit
par figuræ suprapositæ.   His itaque ordinatis,

---

[3] "Numeratio conjuncta, est multiplicatio aut divisio : mul-
tiplicatio est, qua multiplicandus toties addatur, quoties unitas
in multiplicante continetur, et habetur factus : divisio est, qua
divisor subducitur a dividendo quoties in eo continetur, et
habetur quoties." — *Rami Arithmetica*, Edit. 1581, pp. 11
et 14.

incipiendum est operari ab ultima figura numeri
divisoris, et videndus est quotiens, possit illa
subtrahi a figura sibi supraposita, et reliquæ
a residuo sibi supraposito, si aliquid fuerit resi-
duum. Viso ergo quotiens, figuræ inferioris
ordinis possint subtrahi a suis superioribus,
scribendus est numerus denotans quotiens ex
directo supraposito illius figuræ sub qua est
prima figura numeri divisoris, et per illam divi-
dendæ sunt omnes figuræ inferioris ordinis a suis
superioribus. Si autem contingat post anterio-
rationem quod non quotiens, possit subtrahi
ultima figura divisoris a figura sibi supraposita
super figuram sub qua est prima divisoris, recte
scribenda est cifra in ordine numeri denotantis
quotiens, et anteriorandæ sunt figuræ, ut prius;
similiter faciendum est ubicunque contingit in
numero dividendo quod divisor non possit subtrahi
a numero dividendo, ponenda est cifra in ordine
numeri denotantis quotiens et anteriorandæ sunt
figuræ, ut prius: nec cessandum est a ductu
numeri denotantis quotiens in divisorem, nec
a ductu divisoris subtrahendæ donec prima
divisoris sit subtracta a prima dividendi: quo
facto, aut aliquid erit residuum aut nihil: si
aliquid sit residuum, reservetur exterius et scri-
batur in tabula et erit semper unius divisoris.
Cum igitur facta fuerit talis divisio, et probare
volueris utrum benefeceris, multiplica numerum
denotantem quotiens per divisorem et redibunt
eædem figuræ quas prius habuisti, si nihil fuerit

residuum; sed si aliquid fuerit residuum, tunc cum additione residui redibunt eædem figuræ quas prius habuisti; et ita probat multiplicatio divisionem, et econtrario. Sed si facta multiplicatione, dividatur productum per multiplicantem, exibunt in numero denotante quotiens figuræ numeri multiplicandi.

VIII.— *Progressio.*[4]

Progressio est numerorum secundum æquales excessus ab unitate vel binario sumptorum aggregatio ut universorum summa compendiose habeatur. Progressionum alia naturalis sive continua, alia intercisa sive discontinua. Naturalis est quando incipitur ab unitate et non omittitur in accensu aliquis numerus, ut 1 . 2 . 3 . 4 . 5 . 6 . et cætera; et sic numerus sequens superat numerum precedentem unitate. Intercisa est quando omittitur numerus aliquis, ut 1 . 3 . 5 . 7 . 9 . et cætera. Similiter a binario possunt incipi, ut 2 . 4 . 6 . 8 . et sic numerus sequens superat precedentem numerum in duobus unitatibus. Notandum quod progressionis naturalis duæ sunt regulæ, quarum prima est

---

[4] "Progressio est numerorum æqualiter distantium in unam summam collectio. Progressio arithmetica continua sive naturalis est ubi post primum characterem nullus intermittitur. Progressio arithmetica discontinua sive intercisa, est figuris æqualiter interceptis numerorum ordo." Hudaldrichus de Arithmetica, 12mo. *Frid.* 1550, p. 70. Vid. Glareanus de Algorismo, 12mo. *Par.* 1558, p. 20.

talis; quando progressio naturalis terminatur
in numerum parem, per medietatem ipsius mul-
tiplica numerum proximum totali superiorem;
verbi gratia, 1 . 2 . 3 . 4 . multiplica quinarium
per binarium, et exibunt decem, summa totius
progressionis. Secunda regula talis est; quando
progressio naturalis terminatur in numerum im-
parem, sume majorem partem illius imparis et
per illam multiplica totalem numerum; verbi
gratia, 1 . 2 . 3 . 4 . 5 . multiplica quinarium per
ipsum trinarium, et resultabunt quidenarius,
summa totius progressionis. Similiter de pro-
gressione intercisa duæ dantur regulæ, quarum
prima talis est; quando progressio intercisa
terminatur in numerum parem, per medietatem
illius multiplica numerum proximum medietati
superiorem, ut, 2 . 4 . 6 . multiplica quaternariem
per ternarium, et resultabunt duodecim, summa
totius progressionis. Secunda regula talis est;
quando progressio intercisa terminatur in nu-
merum imparem, multiplica majorem portionem
per se ipsam; verbi gratia, 1 . 3 . 5 . multiplica
ternarium per se et exibit nonenarius, summa
totius progressionis.

IX.—*Perambulum ad Radicum Extractionem.*

Sequitur de radicum extractione, et primo in
quadratis : unde videndum est qui sit numerus
quadratus et quæ sit radix numeri, et quid sit
radicem ejus extrahere. Primo notandum tamen

est hæc divisio; numerorum alius linearis, alius
artificialis, alius solidus. Numerus linearis est
qui consideratur tamen penes processum, non
habito respectu ad ductionem numeri in nume-
rum, et dicitur linearis, quia unicum tantum
habet numerum, sicut linea unicam habet di-
mensionem, longitudinem sine latitudine. Nu-
merus superficialis est qui resultat ex ductu
numeri in numerum, et dicitur superficialis quia
habet duos numeros denotantes sive mensurantes
ipsum, sicut superficies duas habet divisiones;
scilicet, longitudinem et latitudinem. Sed scien-
dum est qui dupliciter potest numerus duci in
numerum aut semel aut bis : si numerus semel
ducatur in numerum hoc erit in seipsum vel in
alium. Sciendum quod si ducatur in se semel,
fit numerus quadratus, qui, diversum scriptus
per unitates, habet quatuor latera æqualia admo-
dum quadranguli. Si ducatur in alium, fit nume-
rus superficialis et non quadratus, ut binarius
ductus in ternarium constituit senarium, nume-
rum superficialem, et non quadratum; unde patet
quod omnis numerus quadratus est superficialis
et non convertitur. Radix autem numeri quad-
rati est ille numerus qui ita ducitur in se, ut bis
duo sunt quatuor. Quaternarius igitur est pri-
mus numerus quadratus, et binarius est ejus radix.
Si autem numerus bis ducatur in numerum, facit
numerum solidum, ut dicitur, sicut solidus corpus
tres habet dimensiones; scilicet, longitudinem et
latitudinem et spissitudinem. Ita numerus iste

tres habet numeros ducentes in se. Sed numerus
potest bis duci in numerum dupliciter, qui quot
in seipsum aut in alium. Si igitur numerus bis
ducatur in se vel semel in se et postea in suum
quadratum sit numerus cubicus, et dicitur nume-
rus cubicus ab nomine cubi quod est solidus. Est
autem cubus quidam corpus habens sex super-
ficies, solidos octo angulos, et duodecim latera.
Si autem aliquis numerus bis ducatur in alium
fit numerus solidus et non cubicus ; ut bis tria
bis constituerunt duodecim. Unde patet quod
omnis numerus cubicus est solidus, sed non con-
vertitur. Ex predictis igitur patet quod idem
numerus est radix numeri quadrati et cubici, non
tamen illius radicis idem est quadratus et cubicus.
Cum igitur ex ductu unitatis in se semel vel bis
nihil perveniat nisi unitas, sicut dicit Boetius in
arithmetica sua, quod omnis unitas potentialiter
est numerus omnis, nullus autem auctus. Notan-
dum autem quod inter quoslibet quadratos proxi-
mos continget reperire unicum medium propor-
tionale, quod pervenit ex ductu radicis numeri
quadrati in radicem alterius. Item inter quos-
libet duos cubicos proximos est reperire dicitur
medium proportionale, scilicet, minus medium
et majus. Minus medium pervenit ex ductu
radicis majoris cubici in quadratum minoris.
Majus medium est, si ducatur radix minoris
cubici in quadratum majoris. Cum igitur ultra
summam numerorum solidorum in arte præsenti,
non fiat processus, autem quatuor limites nume-

rorum distinguuntur : est enim limes numerorum ejusdem naturæ extremis contentorum terminis, continua ordinatio ; unde primus limes est novem digitorum continua progressio. Secundus novem articulorum principalium est tertius centenariorum. Quartus novem millenariorum tres limites et resultant incomposites per digitorum appositionem super quam cubum articulorum trium predictorum, ut si alter alteri proponatur. Sed per finalis termini rationem ex millenariorum receptione super se semel per modum quadratorum, aut bis per modum solidorum, resultat penultima et ultimus limes.

X.—*Extractio radicum in quadratis.*

Radicem numeri quadrati extrahere est, proposito aliquo numero, radicem quadrati invenire, si numerus propositus quadratus fuerit. Si numerus vero non fuerit quadratus, tunc radicem extrahere est maximi quadrati sub numero proposito contenti invenire. Si velis igitur radicem alicujus numeri quadrati extrahere, scribe numerum illum per suas differentias, et computa numerum figurarum, utrum sit par vel impar. Si par, incipiendum est operari sub penultima. Si impar, ab ultima ; et, ut breviter dicatur, incipiendum est a figura posita in ultimo loco impari ; sub ultima igitur figura in impari loco posita, inveniendus est quidam digitus, qui ductus in se deleat totum sibi suprapositum respectu sui vel inquan-

tum vicinius potest; tali igitur invento, ducto digito et a superiori subtracto, duplandus est ille digitus, et duplatum ponendum est sub proxima superioris versus dextram et ejus duplum sub illo. Quo facto, inveniendus est quidam digitus sub proxima figura ante duplatum, qui ductus in duplatum deleat totum suprapositum respectu duplati; deinde ductus in se deleat totum suprapositum respectu sui vel inquantum vicinius potest: vel potest ita subtrahi digitus ultimo inventus ut ducatur in duplatum vel duplata et postea in se; deinde illa duo producta simul addantur, ita quod prima figura ultimi producti ponatur ante primam primi producti et superiora addatur primæ, et sic de aliis, et subtrahatur simul a totali numero respectu digiti inventi. Si autem contingit quod non possit aliquis digitus inveniri post anteriorationem, ponenda est cifra sub tertia figura versus dextram, et anteriorandum est primum duplatum cum suo subduplo: non cessandum est a talis digiti inventione, nec a digiti inventi duplatione, nec a duplatorum anterioratione, nec a subdupli subduplo positione, donec sub prima figura inventus sit quidam digitus, qui ductus in omnes duplatos deleat totum suprapositum respectu sui vel inquantum vicinius potest. Quo facto, aut aliquid erit residuum aut nihil; si nihil constat, quamvis propositus fuerit quadratus et ejus radix est digitus ultimo inventus cum subduplo vel cum subduplis, ita quod proponatur: si vero aliquid fuerit residuum,

constat quod numerus propositus non fuerit
quadratus. Sed digitus ultimo inventus cum
subduplo vel subduplis est radix maximi quadrati
sub numero proposito contenti. Si velis ergo
probare utrum beneficeris necne, multiplica digi-
tum ultimo inventum cum subduplo vel cum
subduplis per eundem digitum, et redibunt eædem
figuræ quas prius habuisti, si non fuerit resi-
duum ; sed si aliquid fuerit residuum, tunc cum
additione illius redibunt eædem figuræ quas prius
habuisti.

XI.—*Extractio radicum in cubicis.*

Sequitur de radicum extractione in cubicis :
videndum est quid sit numerus cubicus et quæ
sit radix ejus, et quid sit radicem cubicam ex-
trahere. Est igitur numerus cubicus, sicut patet
ex predictis, qui pervenit ex ductu alicujus nu-
meri bis in se vel semel in suum quadratum :
radix numeri cubici est ille numerus qui. ita
ducitur bis in se vel semel in suum quadratum.
Unde patet quod numerus cubicus et quadratus
eandem habuit radicem sicut supra dictum est.
Radicem autem cubicam extrahere est numeri
propositi radicem invenire cubicam, si numerus
propositus sit cubicus : si vero non sit cubicus,
tunc radicem cubicam extrahere est maximi
cubici sub numero proposito contenti radicem
cubicam invenire. Proposito igitur aliquo nu-
mero, cujus radicem velis extrahere cubicam ;

primo computandæ sunt figuræ per quartas vel sub loco ultimo millenarii inveniendus est quidam digitus qui ductus in se deleat totum suprapositum respectu sui vel inquantum vicinius potest. Quo facto, triplandus est ille digitus et triplatum ponendum est sub proxima figura tertia versus dextram et ejus subtriplum sub subtriplo. Deinde inveniendus est quidam digitus sub proxima figura ante triplatum, qui cum subtriplo ductus in triplatum, deinde cum subtriplo ductus in productum deleat totum suprapositum respectu triplati. Deinde ductus in se deleat totum suprapositum respectu sui vel inquantum vicinius potest: hoc facto, triplandus est ille digitus iterum et ponendum est triplatum sub tertia figura ut prius, et ejus triplatum sub eo ; postea anteriorandum est primum triplatum cum subtriplo per duas diffe-rentias. Deinde inveniendus est quidam digitus ante triplatus sub proxima figura, qui cum sub-triplis ductus in triplata et postea sine subtriplis ductus in productum deleat totum suprapositum respectu sui vel inquantum vicinius potest. Nec cessandum est a talis digiti inventione, nec a digiti inventi triplatione, nec a triplatorum an-terioratione per suas differentias, nec a subtripli subtriplo positione, nec a tali multiplicatione, nec a subtractione, donec perventum fuerit ad primam figuram sub qua inveniendus est quidam digitus qui cum subtriplis ductus in triplata, deinde sine subtriplis ductus in productum deleat

totum suprapositum respectu sui vel inquantum
vicinius potest. Notandum est quod productum
perveniens ex ductu digiti inventi in se possunt
addi et similiter simul contrahi a tali numero
supraposito in respectu digiti inventi : hoc facto,
aut aliquid erit residuum aut nihil : si nihil, con-
stat quod numerus propositus fuit cubicus, et
ejus radix est digitus ultimo inventus propositus
cum subtriplis vel subtriplo, quæ radix si ducatur
in se et postea in productum erunt eædem figuræ
quas prius habuisti. Si vero fuerit residuum,
reservetur idem exterius in tabula, et constat
quod ille numerus non fuit cubicus. Sed digitus
ultimo inventus cum subtriplo vel subtriplis est
radix maximi cubici sibi numero proposito con-
tenti, quæ radix si ducatur in se et postea in
productum est maximus cubicus sub numero pro-
posito contentus, et si illo cubico addatur residuum
in tabula, erunt eædem figuræ quæ prius fuerunt.
Si autem aliquis digitus post anteriorationem,
non inveniri possit, tunc ponenda est cifra sub
quarta figura versus dextram et anteriorandæ
sunt figuræ ut prius. Notandum est, et quod si
in numero proposito non est aliquis locus mil-
lenarii, incipiendum est operari sub prima figura.
De extractione radicum dicta sufficiant.

